

Henricus Dux Lancastria.
 T. Comes VVarwici.
 Capdall de Buche.
 Radulphus Comes Staffordia.
 Guilielmus de Monteacuto Comes Sarisburia.
 Rogerus de Mortuo-mari Comes Marchia.
 Ioannes de Insula.
 Bartholomaeus Burgwasb.
 Ioannes de Bello-campo.
 Ioannes de Mobun.
 Hugo Courtneus.
 Thomas Hollandus.
 Ioannes Grey.
 Richardus Fitz-Simon.
 Milo Stapleton.
 Thomas VValle.
 Hugo VVrothesley.
 Nigellus Loring.
 Ioannes Chandos.
 Iacobus de Audley.
 Otho Hollandus.
 Henricus Eme.
 Zanchettus Dabridgecourt.
 VValterus Pavoley.

Atmes
 Knights.
 Equites
 Eleemosy-
 narii.

Wickha-
 mi A-
 pophthe-
 gma.

Enon.

A sinistra templi aedes sunt Custodis, sive De-
 cani & Præbendariorum XII. A dextra est qua-
 si Prytaneum, in quo aluntur emeritis stipendiis
 proveciori ætate milites duodecim, honestiori
 loco nati, qui quotidie rubra tunica ad talos de-
 missa vestiti, cui lacerna purpurea inducitur,
 sacris interesse tenentur, precibusque pro hujus
 ordinis Equitibus apud Deum quotidie interce-
 dere. Inter utramque aream intereminet moles,
 cui arx rotunda imponitur. Iuxta quam alia tur-
 ris edita surgit VVinchester Tower, à Guilielmo
 VVickham Episcopo Wintoniensi, quem Edwardus
 III operi præfecit, appellata. Quidam perhi-
 bent Wickhamum extructa hac arce, in interiori
 quodam pariete, hæc verba, (quæ Latine tam
 apposite & facete exprimi nequeunt) insculpsis-
 se, *This made VVickham, id est, Hoc fecit VVickhamus.*
 Quæ locutio in Anglicana lingua, quæ casibus
 raro discriminatur, tam ambigua est, ut incer-
 tum sit, utrum is hoc castrum an castrum eum
 effecisset. Hoc regi à calumniatoribus quibus-
 dam in ejus invidiam ita delatum est, quasi Wi-
 chamus omnem extructi ædificii laudem sibi ar-
 roganter vindicavit. Quod cum Rex iniquo ani-
 mo tulisset, eique probrose objecisset; non si-
 bi tam magnifice regiæque structuræ laudes
 adscripsisse; sed structuræ huic suas dignitates
 acceptas se retulisse, respondit. Nec ego (inquit)
 hoc castrum, verum hoc castrum me effecit, &
 ab ima conditione ad regis gratiam, opes, atque
 dignitates evexit. Castro subjacet ad Occasum,
 & Austrum, oppidum satis magnum & frequens,
 quod ab Edwardi Tertii temporibus emicare,
 aliudque, quod disjunctius, & Old VVindfore nunc
 vocatur, sensim evanescere cœpit, in quo Gui-
 lielmi Primi temporibus, ut in ejus libro legi-
 mus, *centum hægæ fuerunt, è quibus XXI quietæ erant
 de gablo, de aliis exierunt triginta solidi.* Nihil aliud
 hic memoria dignum, nisi quod è regione Win-
 desoræ trans Tamisim qui hic ponte ligneo con-
 jungitur, Athona cernitur, & in ea Collegium
 egregium, & humaniorum literarum gymnasium

celebre, ab Henrico VI constructum, in quo
 præter Præfectum, Socios VII & cantores, scho-
 lares sexaginta gratuito aluntur, Grammaticam
 docentur, & suo tempore ad Cantabrigiensem
 Academiam promoventur. Verum hoc Buckin-
 ghamsiensis agri censetur. Nunc tantum super-
 est, quod de Windesora attexam, inlytam esse
 Baronum familiam de VVindfore cognominatam,
 qui originem suam ad Gualterum filium Otheri
 Castellani de VVindfore tempore Guilielmi Pri-
 mi referunt, à quo etiam Fitz-Giraldos in Hiber-
 nia Kildariæ, & Desmonia Comites stemma du-
 xisse probavit, qui artis Heraldicæ studiosissimus
 peritissimusque, & in facialium Collegio Somer-
 setti titulum gessit, Robertus Gloverus. Nec pi-
 geat percurrere hos de Windesora versiculos ex
 Tamæ & Isis Connubio ante aliquot annos con-
 scripto. In quibus pater Tamisis cum loci digni-
 tatem, tum incolæ Reginae Elizabethæ majesta-
 tem celebrare conatur.

Barones
 de Wind-
 fore.

Iam VVindesora surgunt in culmina ripe
 Turrigera, celso lambentes vertice cælum.
 Quas ubi conspexit doctæ* gratatus Etonæ,
 Quæ fuit Orbiliis nimium subjecta plagosis;
 Cæruleum caput ille levans, ita farier infir,
 Acrias moles, gradibus surgentia templa,
 Ferratos postes, pinnas, vitæ, vere
 Perpetuo letos campos, Zephyroque colono
 Florentes hortos, regum cunabula, regum
 Auratos thalamos, regum præclara sepulchra,
 Et quæcumque refers; nunc VVindesora referre
 Desine. Cappadocis quanquam sis clara Georgi
 Militia, procerumque cohors chlamydata nitenti
 Cincta periscelidi juras, te lumine tanto
 Illustret, tantis radiis perstringit & orbem;
 Ut jam Phryxæum spernat Burgundia vellus,
 Contemnat cochleis variatos Gallia torques,
 Et cruce conspicuas pallas, Rhodus, Alcala, & Elba:
 Solaque militiæ sit splendida gloria vestrae,
 Desine mirari, letari desine tandem.
 Omnia concedunt uni, superatur in uno
 Quicquid habes, tibi major bonos, tibi gloria major,
 Accola quod nostra ripe fiet incola vobis
 Elizabetha. (simulque suo quasi poplite flexo
 Tamisis en placide subsidet, & inde profatur.)
 Elizabetha suis Diva & dea sola Britannis,
 Cujus inexhaustas laudes si carmine nostro
 Complecti cuperem Melibocco promptius Alpes
 Imponam, numeremque meas numerosus arenas.
 Si quasdam tacuisse velim, quamcumque tacebo,
 Major erit; primos actus, veteresque labores
 Prosequar? ad sese revocant præsentia mentem.
 Iustitiam dicam? magis at clementia splendet.
 Victrices referam vires? plus vicit inermis.
 Quod pietas floret, quod non timet Anglia Martem,
 Quod legi nemo, quod lex dominatur & omni,
 Quod vicina truci non servit Scotia Gallo,
 Exiit atque suos silvestris Hibernia mores,
 Criniger Vtonius quod jam mitescere discit,
 Laus sibi sola cadit, nil non debetur & illi.
 Crimina quæ pellunt, tanta quæ Principe digna
 Omnes templa suo posuerunt pectore Diva;
 Religio, superos sancte monet esse colendos,
 Iustitia utilibus semper præponere justum
 Edocet, ut præceps nil sit, Prudentia suadet,
 Temperies ut casta velit, cupiatque pudica

* Tamisis.

Elizabe-
 tha Regi-
 na.

In-